LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

RARE BOOK ROOM

IO.
MERCERII
I. C.
OBSERVATA
Quæst. faciebat.

ILLVSTRISSIMO VIRO LVDOVICO CASTRÆO,

BARONI DOMOFORTIANO, CATAphractorum equitum cohortis præfecto. Io. Mercerius

S. P.

EVTVRVM non putabam (illustriß. Castræe) vt in publicum prodirent quæ per intermissionem grauiorum studiorum composita olim à me Emblemata in iustum volumen excreuerant; cum forte obtigit qui ea in æs incideret, & fuere qui digna luce arbitrarentur, atque vt ederem iure quodam suo postularent. Illius ergò vsus opera, & horum voluntati obtemperans partem emitto manu. Partẽ inquàm: neque enim cum plura sint, qui faciendus est sumptus, nunc diuulgari plura patitur; licet abundè suppetat otium, & suppetat inuito etiam. Ecquid inuito? dices: An num

id vltro exoptandum fuit veterano iuris professori? Fuit; modò cum dignitate. Expectabam id certè, ac merebar nisi valdè mihi Suffenus sum, cum in gerendo per biennium eo cui nunc maximè vrbs nostra innititur & plenam fidem habet, Magistratu, non minorem in contemnenda hominum leuissimorum contumelia, quàm in conseruanda bonorũ ciuium tranquillitate spem triumphi sequutus: tum in Romanis legibus per annos viginti interpretandis, si non eximiæ, saltem mediocris eruditionis, & quod vnum prædicare licet, summæ diligentiæ ac integritatis laudem consequutus. Vtroque excidi: Et spe illa triumphi, qui parum memores officij ac promissi experior etiam sui, à quibus referendam gratiam boni & cordati omnes palàm profitentur; & laude ipsa, qui eo tempore quo maximè illustris industria mea esse poterat (fatis functo cuius doctrina totum orbem peruagata est, iuris antistite, quo maiorem nec tulerunt ante, nec post latura sunt sæcula, Ia. Cuiacio) inglorius & obscurus lateam. Non mihi (ne quid tale cogites) vt Themistocli quondam Milciadis, alicuius

UIUC

cuius trophæa somnum excutiunt: Longè sum ab ambitione omni. Sed hoc identidem obuersatur animo, αἰσχὸν ζιοπᾶν: *Nosti cætera. Quicquid sit, hoc constitutum: cauere ne qui ante* γναζεὺς *post* ἀνθεμκεὺς *fiam. Ferale id quod indictum est iustitium seruabo quãdiu honestè licebit; sicubi dabitur publicè prodesse, sicubi fas erit, rationem habebo & honoris mei, & incolumitatis meorum; quæque in nauigando ars maxima (nam & vita omnis nostra nauigatio quædam est, inter spem & metum posita) si portum tenere non possim, tempestati obsequar, quo fata communia trahent sequuturus. Interim videbo ne langueſcam, ne torpeam, & ita reponam otium, vt etiam eius fructus aliquis esse possit. Primus hic quem vides: exiguus ille quidẽ, sed quem alter maior proximè sequatur. Hunc primũ tibi do, dico, dedico; quia eo dignus visus es, qui bellandi fandique potenti patri similis filius (quo ipso cæteræ nobilitati longè antistas) prælia musis tẽperas, & quod de magno Imperatore Burdigalensis poëta,*

„ Quantum cessat de tempore belli,
„ Indulges variis media inter castra camænis.

Alterum tota Gallica nobilitas feret, vt habeat if quando ab internecino quod geritur bello requies detur, quo ruri se exerceat cum vtilitate simul ac honesta voluptate. Problemata sunt Geometrica, tanta facilitate expressa, vt qui vel solas literas sciuerint, cum Archimede possint contendere. Vetera mihi ea studia: Iis adolescentiam imbui; eadem per annos quinque ac viginti, eóque amplius, omissa, idonea visa sunt quibus senectutem oblectarem, méque communibus ærumnis affectum, imo afflictum, &, nisi Deus bene adiuuet, planè prostratum, consolarer; quibus denique serias occupationes dispertitis horis leuiores facerem. Dum id opus matureſcat, quod ad extremum prope adductum est, hoc pignus habe obseruantiæ in te tuosque meæ, quam vt debeo, ita colam quoad viuam constanter, & religiosè. Bene vale, & me, quod vnum faciam plurimi, bene ama.

Auarici Biturigûm: Kal. Maij.
anno 1592.

EX SPOLIVM VICTI VICTRICIAQVE ARMA: SOPHOCLES
QVOD DEDIT AGNOMEN, CEDAT APOLLO DECET.



Nec versare pilam didici, nec ludere disco,
Nec lassum pictus recreat alueolus:
Nec cubi iactu, nec risu lætor inani,
Nec varius mimo gestus agente placet.
Segnitiæ inde reus vos postulor inter, amici:
Absoluar, causam dicere si liceat.
Temporis est cum quid reliqui post seria; vates
Versibus impendo, pictor imaginibus.
Respirare Ceres si me permittat alumnum,
Antiqua emeritum Phœbus ad arma vocat.
Desidis hoc vpus est? causa cecidistis, amici:
Ocia non segnem scilicet ipsa probant.

NON AVSI ATTRECTARE VIDENTEM.

RELLIGIO SOLA EST QVÆ MAXIMA REGNA TVETVR.

Lumine dum valuit, media quod fronte gerebat
Qui Siculo Cyclops littore pauit oues:
Viribus, & iustis vicinos terruit armis,
Sæuus in externos, mitis in indigenas.
Quàm mutatus ab hoc! nil non metuẽsque, timensque,
Cæcus Pigmæis luditur hospitibus.

Huc intende animos caput orbis Francia; de te
Fabula: Quid frontem contrahis? historia est.
Religio & pietas (quo solo lumine constat
Publica res) curæ dum tibi vera fuit;
Nil Germanus eques contra, nihil ausus Iberus,
Et nihil à niueis insula dicta iugis:
Delectata nouo cultu, ciuilibus armis
Cedis, & à proprio milite diriperis;
Quique à te accepit quondam, Saxo, Danus, Anglus,
Heluetius, tibi nunc iura daturus adest.
Ocius antiquæ repetas præcepta parentis,
Vt redeat splendor qui fuit ante tuus.

NVSQVAM CONVENIENT.

VEL NVLLA, VEL VNA
IN POPVLO RELLIGIO EST
SEMPER.

Villicus agresti tauro coniunxit asellum,
Vt ferro intactam sollicitaret humum.
Hinc boue, & inde asino cultrum rapiente priorem,
Pingue solum sulcis finditur imparibus:
Maxima pars inarata iacet, quam vomer acutus
Præteriit, segeti pars minus apta satæ.

Qui varios cultus in regno iungit eodem,
Vt plures careant relligione facit.

QVIS LOCVS ARMIS?

POST BELLVM PAX LONGA MANET.

Et galea, & denso plastes thorace Mineruam
Contegit, atque armis ornat vtramque manum;
Pacis amans docto celebratur carmine vatum:
Versibus an terræ est maior habenda fides?

Et plastæ fingunt, & scribunt vera poëtæ:
Namque sequi bellum pax diuturna solet.

ALITER.

Casside operta caput, pectus thorace, patrima
Quæris spectator quid sibi virgo velit.
Lancea inest manui dextræ, clipeusque sinistræ:
Belligeram ista probant arma fuisse deam:
Pacis ei inuentum (dices) tribuere poëtæ,
Nota ex Cecropiis mœnibus historia.

Conueniunt satis hæc: Longi post damna duelli
Plurima, securæ tempora pacis erunt.

DIFFVSVM TOTO CORPORE
VVLNVS HABET.

SEQVITVR SVA POENA
SVPERBOS.

Agnoscis tandem nimis audax Martia, quantum
Cedat dulcisonæ tibia rauca lyræ:
Et quo tu insipiens certasti pignore, musis
Judicibus pellem victor Apollo refert.

O vtinam qui se stulti sapientibus æquant,
Exemplo possint velle pudere tuo.

VSQVE SEQVENTVR.

VLTIO CERTA MANET
SCELERI.

Æstate vt media volucri bos percitus æstro,
Quem cornu aut fisso pellere calce nequit,
Diffugit, & passim stimulis exterritus, omnes
Vicino effusos orbe pererrat agros:
Sed quoquo excurrit, multus circumuolat hostis,
Vulneraque in cæco pectore cæca parat.

Frustra quis refugit cælestis numinis iram,
Persequitur vindex crimina nota deus.

NON CVRAVERE NEPOTES.

SOLA MORI NESCIT VIRTVS.

Archimedis corpus, tornato illustre cylindro,
Et sphæræ circis nobile, marmor habet:
Vrbe Siracusia fuit hoc nil clarius olim,
Nunc densis tectum vepribus obruitur.

Turpis & insana est præstantis cura sepulchri,
Virtus pro tumulo sit sua cuique suo.

OTIA SI TOLLAS PERIERE
CVPIDINIS. ARTES.

RECTAM FINXERE PRIORES.

OTIA SI TOLLAS PERIERE
CVPIDINIS ARTES.

Cuius imago Deæ es? pueri sum mater amoris:
Cuius opus? sculpsit docta manus Canachi.
Qua ratione sedes rectam simulachra priorum
Cum faciant? segnis res mihi grata quies,
Otia grata mihi: Quò te male suada voluptas
Non vexet rogitas? res age tutus eris.

NIL TVRPE LOQVENDVM.

COMPESCENDA LIBIDO: SED
LINGVÆ VITIVM MAIVS.

Ori admonens dextram, pudendis alteram,
Dum dormit Anacharsis, manum:
Cohibere linguam, & improbam libidinem,
Sed maximè linguam, docet.

QVOS DECVIT SERVARE NEGAT.

SCELERATI PRINCIPIS ARTES.

Hæc vetus est veteris diuorum patris imago,
Qui natos auido deuorat ore suos.
Tempus edax rerum, & nimium inuidiosa vetustas,
Omnia consumunt: μυθολογία placet.
Et pater est populi cuius moderatur habenas
Princeps: Vis scire vt fictio conueniat?
Δημοβόρος βασιλεύς ab Achille vocatus Atrides,
Quod grauibus Græcos flecteret imperiis.

FERRE IVGVM NESCIT
HONESTVS AMOR.

VT CERTA SEMPER PACE
FRVARIS, AMA.

Penniger, imberbis, veste orbus, lumine cassus,
Præcinctus pharetris, robore defficiens.
Talis amor veterum monumentis pingitur, ille
Quem peperit Marti Cypris amata suo.
Alteris est, cuius contraria prostat imago;
Quem Venus, & Veneris filius odit Amor.
Non pennis celebris, nec cursu præpete clarus:
Testudo est tardum quæ vehit axe deum.
Non puer est: mento barbam qui gestet opacam,
Et cuius cani tempora sacra tegunt.
Non nudus: fidi vestitur pelle molossi
Pectore in aduerso, cætera vellus habet.
Non oculis captus, nec vitta obductus inani:
Aspectu Lyncem qui superare potest.
Non grauis est iaculis, nec tenso nobilis arcu:
Pacis amans oleæ fragmina dextra tenet.
Non infirmus: habet magnas in corpore vires,
Atque omnes, vinci nescius ipse, premit.
Hoc spectes veri laudandum exemplar amoris,
Vt sint quos sanctè sanctus amare scias.

CEDVNT QVI ANTE
COLEBANT.

VVLGI INCERTVS AMOR.

Dum ſtetit alta, altis quondam radicibus hærens,
Nullius eſt quercus ſaucia facta manu:
Nunc Boreæ aduerſo proſtratam flamine, multus
Succidit multis viribus agricola.

Si fortuna ſuis opibus tua vota ſecundet,
Præſto aderit tibi plebs obſequioſa nimis:
Sin contra imminuat tua cœpta potentior hoſtis,
Damni aliquid metuens, oprimet inſidiis.

VACVAM ALTER HABEBIT.

IVS DICENS PARTI FACILEM
SE PRÆSTET VTRIQVE.

Aurem vnam actori princeps qui commodat æquam,
Atque aliam palma comprimit opposita:
Hoc præstat, ne sit facienti crimen inultum,
Insontes purgent scommata falsa rei.

Justitiam quisquis populo impartitur, & iram
Sistat, & iniustis temperet à lachrimis.

INDIGNVS HONORE
SEPVLCHRI.

A VIRTVTE ANIMVS MAGIS HAVD
RE ABDVCITVR VLLA.

Quod mortuos exenterent Ægiptij,
Et ventre proiecto foras,
Inane pingui corpus imponant rogo,
Lectoue credant marmorj:
Ventrem esse maximam scelerum causam docent
Quæ quisque viuus perpetret.

ALTIVS ERIGITVR.

MAIORES FECISSE NOCET.

Vitem humilem tenuis firmatam robore pali,
Excoluit multos villicus iste dies:
Postmodo virinæ sociauit ineptus oliuæ,
Maioris fructus præmia parta putans:
Illa sed excelsum ramis complexa cacumen,
Immensa cepit luxuriare coma:
Destituit agricola elatam compescere ferro,
Vt sint facta eius vota caduca vides.
Quæ densis olim pendebat onusta racemis,
Nil acinos præter, granaque rara gerit:
Ornauit quondam fœcundæ pocula mensæ,
Iam iam cornices nutrit & erithacos.

Sic vestro (reges) ditati munere, quorum
Personat antiquum fortia facta genus:
Dum fœderis facies, faciles consortibus adsunt,
Nulla vos dominos vtilitate iuuant.

DEBVERAS FECISSE PRIVS.

MVTATIO DVRA SENECTÆ.

Quod facit annosam qui plantat villicus vlmum;
Hoc faciunt senibus qui dare verba solent.
Arbor mutata nusquam tellure viresceț;
Atque habitam seruat quo fuit ante senex.

HOC SINE NIL POSSVNT.

PARTA LABORE VENIT
VIRTVS.

Herculis ara, ter atque trium simulachra sororum
Sustinet; huic populus publica vota facit.
Communis flamen, communia sacra, preceſque:
Quid commune deus quæſo deabus habet?
Hæ ſtudiis præſunt, moderantur & artibus artes,
Illius immodicus fertur ad aſtra labor.

Haud facile emerget, quiſquis tolerare laborem
Non poterit: Virtus quæque laboris eget.

NVSQVAM INVENIAS.

REM SIBI QVISQVE
SVAM CVRAT.

Quid Cinice accensa collustras lampade, solis
Cum radient medio lumina plena die?
Num quis forte hominum tanta regione moretur
Hactenus inquiro, nec reperisse datum est.
Cæcus & insipiens, qui tot modo præteris; ecce
Plebs hoc circunstet quàm numerosa foro.
Illum vexat amor nimium sceleratus habendi,
Hunc agit ambitio, fraudibus ille vacat.
Ergo hominem esse putas vitio qui temperet omni?
Qui propriis præfert publica, solus homo est.
Parce oleo infœlix, Phœbi nec abutere flammis;
Haud quisquam est tali præditus ingenio:
Tempora forte homines veros transacta tulere,
Sæcula vix vllos posteriora ferent.

INTEGRA PARS MELIOR REMANET.

NON EST SECVRA TYRANNIS.

Etsi corpus edat volucris quam cepit, & exta;
Cor tamen illæsum deserit accipiter.
Etsi diripiat populi bona cuncta tyrannus;
Vlciscendi animum non tamen imminuit.

TEMPLI SALVVS HONOS.

A SVPERIS BONA MENS:
HANC DANT SI MENTE
ROGENTVR.

Ob scelus infandum furiis agitatus Orestes,
Errabat variis irrequietus agris.
Ingressus Phœbi quæ fors delubra patebant,
Solamen taciti sensit adesse mali.
Vltrices siquidem steterant in limine Diræ,
Interdicta quibus sunt sacra templa Deum.

Si quis te genius, vel noxia vexet Erynnis,
A summo repetas numine tutus opem.

NIL REVOCARE POTEST.

SPERNIT CONSILIVM LVCRI
CAPTATOR AVARVS.

Decidit ecce frequens collectis nubibus imber,
Perpluitur mediis tardus asellus agris:
Non tamen accelerat, nec se committere tecto
Dignatur stabulo, nec tegere arboribus;
Quin ferulas largo decerpit rore madentes,
Et dura replet carice corpus iners.

Huic similis verè est, quicumque attentior ad rem,
Parui rumores & maledicta facit.

O DISSE FVIT MELIVS.

QVI NIMIVS NON DIV-
TVRNVS AMOR.

Amplexu catulos suos frequenti
Stringens Simius enecat φιλάυτως.
Si quid fortè voles diu placere,
Vnum ne placeat nimis caueto:
Est omne immodicum breuis senectæ.

SIC VOLVERE DII.

VT CAVSA, DIES NOS
MORTIS PRÆTERIT.

In mediis vates conſederat Æſchylus agris,
Velabant canum tegmina nulla caput:
Caluitie decepta aquila eſt, dimiſit ab altis
Oſtrea vti ſaxo comminuenda iugis;
Saucius interiit vates: non vlla iacentis
Culpa fuit, nec auis crimen in arte fuit.
Fruſtra quem inſimules: Senſim ſua quęque ſequũtur
Fata virum; ſoli cognita cauſa deo eſt.

NIL PRÆTER VOTA
REQVIRIT.

IVRE POTES, NE VI AVT
VERBIS CONTENDE
MOLESTIS.

Terminus huic medius mediæ superimminet aræ,
Cui fieri magnum sanguine sacra scelus.
Victima nulla cadit, nullum ante altare bidental
Perfusum moritur cornua bina mero.
Cætera vix aliter creduntur numina flecti,
Solus de superis vota cruenta fugit.
Finibus incumbit, fines sine sanguine debent
Seruari, solus quos bene seruat amor.

NIL ADDIT HONORIS.

PRÆSTAT SAPIENTIA
FORMÆ.

Setigeri ex roſtro pendet ſuis annulus, auro,
Et gemma, & doctæ nobilis arte manus.
Abſimilis non eſt mulier quæ pulchra, ſed amens:
Quæ male morata eſt virgo, timenda viro eſt.

Qui nubis, mores non formam vxoris amato;
Nil expers animi forma venuſta iuuat.

QVÆCVMQVE OCCVLTA
REQVIRVNT.

NON IMPVNE SCELVS
FVERIT CVIQVAM.

Quod canis assistat Laribus, quod pelle canina
Induti lustrent abdita quæque domi:
Comprobat esse deo fidos vigilesque ministros
Qui scelera inquirant, obiiciantque reis.

Ignotum superis nihil est, præsentia cœlo
In terris multos post facienda dies.

NIL OPTANDVM AMPLIVS.

SATIS EST QVOD VITÆ
SVFFICIT.

Euentum iſte bonum præfert lapis: Iſthmius olim
Vulgatum ſculptor marmore finxit opus.
Dextra manus pateram ſplendenti rore madentem,
Spicam, & ſommiferum læua papauer habet.

Vtuntur facili ſomno, qui ex fructibus agri
Percipiunt, vitæ quod queat eſſe ſatis.

QVOD FECIT, PATITVR.

QVOD TIBI NON OPTES
FIERI, NE FECERIS
VLLI.

Cum ruit in venerem, tumidum caput inserit ori
Vxoris, coitu turpis Echidna nouo.
Sed fœcunda maris satiata libidine coniunx,
Insertum rabido conterit ore caput.
Parturit hæc eadem corroso viscere fœtus
Insidiis: proli cedit vterque parens.

Naturæ ius est vt quod quis fecerit vltrò,
Posthac inuitus perpetiatur idem.

NVLLA PARTE POTEST LÆDI.

TVTVS AB INVIDIA EST QVISQVIS SE COMPRIMIT IPSVM.

Contractis pedibus, longóque Ericius ore;
Spernit latrantes tutus vtrinque canes:
Corpore nam reliquo villis exhorret acutis,
Nec qua parte ferus mordeat hostis habet.

Qui primos animi motus ratione coërcet,
Omnem à se sapiens submouet inuidiam.

ALTER AB ALTERIVS
DISSIDET INGENIO.

NIL GRAVE CONANTI.

Dissimile hîc iter est, & dispare mente viator;
Plana via vna quidem est, horret at vna rubis.
Sedulus & sapiens iter actor læue frequentat,
Per sentes quiuis disidiosus agit.

Difficile est quiduis nolenti, & adire timenti:
Sed facit assiduus peruia quæque labor.

ARTE SVA PERIIT.

INCVMBAS STVDIIS
FINEM QVI QVÆRIS
AMORI.

Sola inter ſuperos Ioue nata, libidinis expers
Pallas, & impuri neſcia amoris erat:
Hanc quoque, ne probro cœli pars vlla careret,
Inuaſit pharetra & fraude Cupido potens.
Illa ſed oppoſito (nil territa) Gorgonis ore,
Vitauit nudi plumbea tela dei.
Verſus in authorem furor eſt, reflexa ſagitta
Numinis infecit corda ſagittiferi;
Cumque pati magnum non poſſet vulneris ignem,
Saucius è ſummo decidit axe puer.

Eſt infeſtus amor ſtudiis, ſed vincit amorem,
Qui ſtudiis operam collocat aſſiduam.

RECVRRET IN ALTVM.

NON FACILE EST CVIQVAM
MORES MVTARE
PRIORES.

Fruſtra vtrem vento conaris mergere plenum,
Ocius ad ſummas vſque redibit aquas.
Aſſuetum vitiis fruſtra mutare labores,
Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

OPERAM CVM DAMNO
LVDIT INEPTVS.

SCIRE TVVM NIHIL EST,
NISI RECTOS CEDAT
IN VSVS.

Ecquæ ſtultitia eſt, vt qui ſe exerceat arcu,
In ſilicis vibret ſpicula crebra ſcopum?
Defficiet ſignum, iaculorum fruſta iacebunt,
Artis & ignarus plurima damna feret.

Non ſatis eſt has eſſe bonas quibus vtitur artes
Quiſque, bonas vſus nam bonus ipſe facit.

MALVM IMMINET.

SOLLICITI EST REGVM SORS PLENA TIMORIS.

Quid tibi tantæ epulæ? quid tam bene culta supellex?
Quid famuli accincti? quid galeata cohors?
Sursum attolle caput; pendens laquearibus aureis
Imminet en iugulo cuspis acuta tuo.
Est prope vt intereas, setæ non ensis equinæ
Possunt fulgentis pondera ferre diu.
Quid miser? extremos gelidus tremor occupat artus?
Nunc præfers vitæ regia sceptra tuæ?
Istud (adulanti Dionysius infit amico)
Est commune malum regibus, vt metuant.

QVO PLVRES NVTRIAT.

CÆLITVS OMNE BONVM.

Quæ simulachra vides Pario de marmore, lector,
Cœlestis referunt munera grata patris.
Cincta dea est mammis plenis, atque vbere multo;
Qualis quondam Ephesi pulchra Diana fuit.
Scilicet agnouit proauorum docta vetustas,
Esse Deum qui nos intus, & extus alat.

METVAT SIBI CONSCIVS.

INSONTES ETIAM METVS OPPRIMIT.

Hyppolitus metuens ſceleratæ falſa nouercæ
Indicia, ipſe ſibi comparat exilium;
Conſcendit currum, viſis in littore Phocis
Abſternatur equus, decidit axe puer;
Per medios rapitur ſcopulos, perque inuia ſaxa,
Et quæ vitauit crimina, morte luit.

Non eſt quod metuas rumores plebis iniquæ,
Si quid agas recti conſcius ipſe tibi.

SI MOVEAS TOTA
EFFLVET.

OFFICII IMMEMORES
PRÆSENTIA SOLA
COERCET.

Arentes olitor studiosus vt irriget hortos,
Summa hydriæ obiectu pollicis ora tegit.
Imus habet rimas, & aperta foramina venter;
Nec tamen è pleno guttula vase cadit.
Pollice subducto, largus diffunditur amnis,
Et vacuum præceps occupat aura locum.

Hoc puero præstat præsentis cura magistri
Vt queat imbibiti dogmatis esse memor,

AGRICOLÆ CESSIT
MELIVS.

QVÆ SVA SVNT VVLGVS,
TRACTET DIVINA
SACERDOS.

Peram humeris habilem, positis talaribus, Hermes
Sumpsit, & augusta rexit aratra manu;
Lectaque mandauit bene cultæ semina terræ:
Artifici tanto quàm male cedit opus!
Expectata seges vanis mutatur auenis,
Frumenti cyanus fungitur alta vicem,
Hirsutus totos populatur carduus agros,
Et lolio, & tribulis, fœta laborat humus.

Diuini postquam vulgo sunt credita verbi
Arcana, vna fides cui satis ante fuit.
Corrupta est veterũ vetus hæc quoque forma sacrorũ,
Et subiere eius dogmata falsa locum.

VSQVE RECVRRET.

NVNQVAM STAT POENA MALORVM.

Proditor Æolides mediis rotat ignibus orbem,
Et graue per flammas, per freta voluit onus;
Dúmque putat finem iusso feciſſe labori,
Pondera labuntur viribus ipſa ſuis.

Quicquid viui agimus, poſt funera plectitur Orco;
Vita breuis, pœnæ nulla futura quies.

VIVERE NON POTVIT
CORRVPTA.

SERVATVS LAVS MAGNA
PVDOR.

Qui tumulum hunc ſeruat turtur, candentibus alis,
Signa refert certæ certa pudicitiæ.
Hic romana iacet celebris Lucretia famæ,
Vim paſſa à iuncto ſanguine Tarquinio.
Hoc ſcelus ipſa, virum, charos teſtata parentes,
Et teſtata deos, vlta cruore ſuo eſt.

Si quæ forte fidem nolint præſtare maritis,
Illarum Coccyx buſta nefanda colat.

SIBI NOXIA SOLI.

INVIDVS IPSE SIBI
DAMNO EST.

A tygride Hyrcanus pastor conseruat ouile,
Agresti tundens timpana rauca manu.
Hæc fera nam sonitu tantas exardet in iras
Ignoto, vt faciat vulnera plura sibi.

Æmulus alterius, dum constans laudibus effert
Fama sibi infestum, rumpitur inuidia.

QVID METVS AD PVERVM?

NESCIT AMARE TIMOR.

Irati vt vitet patris Medæa furorem,
Absyrti irato traiicit enſe caput,
Membraque diuellit, diuulſaque ſpargit in agros
Semotos, æqui fratris iniqua ſoror:
Vt pater oblitos lachrimis dum colligit artus,
Et tumulo, & luctu, triſte retardet iter.

Qui metuit, gencris nullo retinetur amore:
Sed male parta nimis, parta furore ſalus.

INSIDIOSVS AMOR.

HOSTILES ANIMOS FICTVS
AMICVS HABET.

Accensis facibus genitor Palamedis, & vltor,
Ostentans certum pro statione locum;
In scopulos græcas pellexit fraude carinas,
Atque nouis omnes perdidit insidiis.

Non temerè est facili credendum semper amico,
Promptus amor vulgi, fictus at esse solet.

NEC VIS, NEC VIRTVS,
REVOCAT VOX IMPROBA
TANTVM.

IVDICIVM POPVLI, MAGNIS
CONATIBVS OBSTAT.

Quantumcumque ferox elephas, superatur ab hoste
Si porcorum acies grunniat opposita:
Fortis Alexander medios penetrauit ad Indos,
Infestum hac animal classibus arte fugans.

Ingenuos homines sententia plebis iniquæ
Vexat, & à rebus distrahit ingenuis.

IRRITVS ISTE LABOR.

ANTIQVI IVRIS NVNQVAM
TEMERANDA POTESTAS.

Terrigenæ addiderant saxis saxa ardua fratres,
Montibus & montes, & iuga summa iugis.
Vt cœlum regerent pulsis cœlestibus orbe,
Ignari summos omnia posse deos.
Cum pater altitonans, demisso fulminis igne,
Perdidit, & ceptum debilitauit opus.

Non inpune ferent, qui patrum dogmata spernunt,
Et populo obtrudunt iura nouella suo.

PAR ERAT DVM INSTARET HVMI.

ERIGE TE QVISQVIS VANOS SECTARIS HONORES.

Herculis Antæus fregit, luſitque laborem,
Quandudum terram tangere poſſe datum eſt:
Fortibus vt primum eſt manibus ſublatus in altum,
Exceſſit toto corpore robur iners.

Flectere qui mentem cupiet, quam ſæua libido
Vexat, ab humanis temperet illecebris.

AVDET IS; ILLE TIMET.

FORTITER AVDE,
FORTVN̄A ET COMITEM
SE DABIT IPSA TIBI.

Extremis asinus dum potat flumina labris
Lambit, equus totum mergit ab aure caput.
In studiis vsu venit hoc, quos æquus amauit
Iupiter, vt quisque plus valet ingenio,
Nullo terretur discrimine, rebus agendis
Instat, nil impar viribus esse putat.
Degeneres animos timor arguit, obice paruo,
Spem consternati funditus abiiciunt.

TVTIVS ENIM FVERAT SERVIISSE.

A PVERIS ASSVESCE, SENI SERVIRE MOLESTVM EST.

Hinnulus, excusso domitore, effrenis in omnes
Effusos circum fertur anhelus agros,
Et sese cursu nullo cogente fatigans,
Vires ipse suas turpiter imminuit.

Libertate uti qui primis nescit ab annis,
Ipse sibi certum comparat exitium.

SACRVM COMMVNE
DVOBVS.

SANA MINVS SANVM
RATIO MODERATVR
AMOREM.

Mercurium & Venerem communis sustinet ara,
Constantis referens symbola coniugij.
Namque iugalis eget compto sermone voluptas,
Nec diuturnus amor qui ratione caret.

VLTIO CERTA MANET.

PRÆFERTVR VITÆ TVRPI
MORS QVÆVIS
HONESTA.

Arbore frondosa tectus venator, in Virum
Tela iacit longè viribus inferior.
Saucius iste nemus totum percurrit, vt hostem
Interitus vindex opprimat vsque sui.
Sin spes defficiat, patulas impingit in alnos,
Seque furens propriis viribus interimit.

Hoc animi est fortis nihil vt patiatur inultum,
Vir bonus impatiens criminis esse solet.

QVID TVMVLVS VIVO?

SCRIPTA VEL IPSA DOCENT NON POTVISSE MORI.

Cuiacij est tumulus viri ornatissimi,
(Viator isthuc respice)
Diruere quem tres de nouem sororibus
Certant, graui conamine.
De litteris male meritum ideo ne putes;
Musis fuit charissimus.
Quid igitur, inquies, monumentum vt destruant,
Æternitati creditum?
Ad mortuos sepulchra: mortuum negant,
Per ora qui viuat virûm.
Et ipse tumulum viuus extruxit sibi,
Ærugo quem nulla exedat:
Professus artes omnigenas, sed maximè
Iuris vtriusque peritiam;
Conscripsit omnibus referta volumina,
Tumulum futurum mortuo.

Phœbus & alma Ceres de me certamen inibant,
Cum ſtudiis addi vellet vterque ſuis.
Illuſtret leges, inquit Saturnia, per quas
Non minimo patria claret in vrbe loco.
Verſibus exornet muſas, contra infit Apollo,
Artis quicquid habet muſa latina dedit.
Intercedo Diis magna certantibus ira,
Ore fauete (inquam) numina ſancta precor:
Sedulus amborum faciam rata vota ſacerdos,
Præſtabit donis author vterque ſuis.
Deſcribam inuentum non feſtis iura diebus,
Diua, tuum; feſtis carmina, Phœbe, tuum.
Otia ſi ſolitum nequeant ſuperare laborem,
Æquabunt Diuæ ne Deus inuideat.